17454 I

Mag. St. Dr

Lipski Joannes
Archiepisc. Gnesnen.

Boruski Gregorii: Elogium Illmo et Rmo D. D. Joanni a Lipie Lipski, Archiep. Gnesn.

PANEG. et VITAE
Polon.
№. 464.

ELOGIVM

ILLVSTRISSIMO

&

REVERENDISS: DOMINO,

DOMINO IOANNI

A LIPIE

LIPSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis gratia

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATI, & PRIMO PRINCIPI,

Ad Primum & Celebrem

In suam Archiepiscopalem Sedem ingressum.

Domino & Mæcenati Amplissimo, honoris & debitæ obseruantiæ ergô,

A

M. GREGORIO BORVSKI Art: & Philos: Doctore. ac Professore in Academia Crac.

DICATVM.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij S. R. M. Typogr.

Anno Domini M. DC. XXX IX.

104.



BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE
17454 I

In Soleâ Lipski rutilant duo cum Cruce tela:
Vtilis hic cælis, vtilis & Patriæ.
Nam Cruce, Cocyti crudelia monstra repellit,
Consilio, Patriam fulcit, & auxilio.

ELOGIVM.

QVod precati ſumus à Deo Optimo Maximo, ardentiſsimis votis, Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ: ARCHIPRÆSVL, vt dolorem in mentibus noſtris quotidie recrudeſcētem, poſt obitum æternâ memoriâ digniſsimi Paſtoris, Prudentiſsimi Senatoris, IOANNIS WEZYK, olim prædeceſsoris Tui, leniremus; vt Archidiæceſis deſtituta ſuo præſide patrocinium, ciuitates & oppida ſuo clementiſsimo Domino orbatæ, amiſſam dignitatem recuperarent: Id profecto die auſpicato, omnes ſeſe conſecutos cum magnâ voluptate animi cognoſcunt: cum ad Te Paſtorem, non ſine publicâ fortunâ diuinitùs datum, communis boni parentem, omni genere virtutum conſpicuum, Senatorem ampliſsimum, Primatem Regni Illuſtriſsimum; cum maxima alacritate excipiendum, ſalutandum, cum effuſa omnis generis multitudine prodeũt. Præmium tuis meritis, & virtuti debitũ ex cœleſti ordinatione oblatum, gratulantur vniuerſi. Nefas & inconueniens eſſe in publica gratulatione, & communi lætitiâ vocem gratulationis, & affectum lætitiæ, licet incondito ſermone, non edere, cum me hinc corona nobilium Tibi congratulantium excelsum honorē vrgeat, illinc venerabilis Sacerdotum cætus ex præclara acceſsione dignitatis, voluptas commoueat, iſthinc Tui generis ſplendor non mediocriter excitet, tum eximia ſpes fauoris ex omnibus partibus inflammat. Nemo enim tibi non poterit gratulari, etiamſi perſpectam habeat

ſui in-

ſui ingenij tenuitatem, cum pro tantis laboribus & meritis tuis, ampliſsimum laborum tuorum accipis fructum, non ſolum omnium Senatorum expreſsis ſuffragijs, Sacerdotum pijs precibus, Ciuium communibus votis: ſed etiam totius Regni Procerum apertis documentis. Nam & anteacta Tua promerita, quæ in oculis omnium verſantur, & quotidianis ſermonibus celebrantur iuſtum applauſum extorquent, vt ea obliuioni mandare, vel ingratorum, vel inſanientium hominum ſit argumentum. Ab omni humanitate alienus diceretur, qui in Te erga Patriam Tuum Candorem non extuliſſet laudum præconio. Iudicaretur ingratus & impius qui non proſequeretur beneuolentiâ Tuam pietatem, & zelum in cultu Diuino promouendo, augendo, ornando: conſilij expers & rationis inops haberetur qui fidem, curam & vigilantiam, quam impenſe præſtitiſti publico patriæ bono, non ornaret elogijs. Magna ſemper & laudabilia Tuæ præclaræ virtutis, non tantùm ad publicam gloriam, & exiſtimationem populi, ſed ad ædificationem & exemplum multorum erigebantur monumenta. Ferebaris pleno gradu ad Eccleſiæ bonum propagandum, vt tantò glorioſior fores, apud conſequentem poſteritatem, quantò ampliorem & luculentiorem, de Diuino cultu quàm optimè merendi, nanciſcebaris opportunitatem. Iſta mihi vniuerſa faciliorem aditum ad Tuam Celſitudinem, non dubia fide pollicentur: cum ex Tua affabilitate in omnes, & benignitate, deueniam in hanc ſpem & fiduciam, quod gratulationem meam, non ſtudio potiùs Tui cultûs, & debitæ obedientiæ, quàm ex Tuis Nitoribus metiri debeas. Quapropter in hac vniuer-

ſorum

ſorum ordinum iucunda gratulatione, populi applauſu, quæſo obteſtorq; te Illuſtriſſ: ARCHIPRÆSVL, vt Patronus cũ cliẽte, Dominus cum ſeruo, Mæcenas cum alumno, Tua egregia facinora mecum velis recognoſcere: obſcura eſſet hæc Vrbs, ſedes vbi fixa patriæ meæ, quæ me genuit, fouit, & primis lineamentis inſtruxit hilariter, ſi Tu ARCHIPRÆSVL Reuerendiſſ: rerum Tuarum memorandarum venires in obliuionem. Ac in primis vt Illuſtris Tua virtus ex præclariſsima omnium exiſtimatione acciperet incrementa, cum ex maiorum eſſet ſplendore profecta, non quærebat ex fumoſis imaginibus, non authoritatem ex fortunæ commendatione, contenta heroica ſanguinis inclyti propagatione. Proſpiciebat & conſulebat laudi tuæ ſtatim, ne tuam ætatem pulcherrimam, veſtigijs ad egregia facinora delineatã, ad inanes otioſorum hominum occupationes aliquod malum inflecteret: ſed ad omnem conſtantiam, fortitudinem tam in rebus aduerſis, quàm in proſperis, ad magnitudinem animi; non ad vllas mollioris vitæ illecebras, ſed ad rigidum laborem; non ad ineſcatas multis malis voluptates, ſed ad tolerantiam & grauitatem retinendam Te informabat. Talia pueritiæ tuæ fuerunt ſpecimina probitatis, vbi exteras nationes, Italiam fontem ſapientiæ, & quaſi Emporium omnis eruditionis adijſti: nihil in mente ſæpius habebas & meditabaris, niſi vt celebritate ingenij & iudicij maturitate ante ætatem floreres, & alios maiori progreſſu ſapientiæ anteires. Et dum pleriq; rebus ludicris, vt ætas iuuenilis incitat, ſeſe oblectarent, annos varijs occupationibus ſuos conſumerent, quibus nulla felicitas ſubſiſtit: Tu in ijs quæ futurũ Sena-

torem

torē prudentiſsimū decebat, & quæ Eccleſiæ præſidem, pietate grauē, moribus conſpicuū, vitæ inculpatæ ſanctimoniâ præclarū efficerent, in conſpectu omnium inuigilabas: ita omnes neruos ætatis tuæ eo cōferebas, vt Deū tuæ adoleſcētiæ & Tuorum factorum teſtem & arbitrum te habere meminiſſes. Sed non exinde laudem meruiſti, quod exteras nationes peragraueris, illarum mores & inſtituta legum cognoueris, vrbium munitiones, locorum amænitates perſpexeris, cùm ſit populare his temporibus vnicuiq; & vulgare etiam infimæ ſortis hominibus: ſed quia hoc maximè intendebas, vt otium, ſentinam malorum, & alia oblectamentorum inuitamenta effugeres, & grauitatem cunctis amabilem, experientiam rerū magiſtrā, cum theſauro ſapiētiæ, in ætate iuuenili compararares. Vt tantis dotibus ornatus redeundo ab illis regionibus, ceu Sol, Hemiſpherium Patriæ noſtræ illuſtrares & irradiares. Cognouit Patria, non ſuas fruſtratas ſpes; non expectationes amici & propinqui eluſas ſuas ſenſerunt. Nam multas ſcientias, ingenio perſpicaciſsimo, memoriâ fideliſsimâ, diligentiâ, ſedulitate & ipſa conuerſatione cum viris probis eruditis habitâ, apprehēdiſti. Ex quibus eloquentiam tanquam Reginam ſcientiarum hauſiſti, eam ad bonum Eccleſiæ promouendum, non mediocre ſubſidium, & Patriæ ſtabiliendam fortunam, firmiſsimam baſim putando. Non ego hic oratione exprimere, ſed nec quiſquam mente concipere poteſt, cum quāto applauſu exceptus fueris, & quâ hilaritate animi, ab omnibus Ciuibus Patriæ, facilè enim poterāt ex viuis documentis cognoſcere, qualis Patriæ futurus eſſes Senator, qualis religionis propugnator, quàm proficuus Ec-

clesiæ & literarum propagator. Noluit ergo Tuam indolem intra domesticos lares Diuina prouidentia latitare: euexit in lucem Patriæ, & in conspectum Ciuium eduxit. Serenis: Regis SIGISMVNDI Tertij Regalibus officijs obeundis commendauit. Vbi, tanquam in Theatro, Tuis virtutibus patuit locus benè merendi de Eccesia & Rep: vnde lumen gloriosarum actionum tuarum, & dignitatis splendor, non solùm intra patrios terminos, sed extra regnum ad ipsas quoq; gentes a nobis dissitas penetraret. In Aula quot labores susceperis, quàm studiosè fas & æquum propagaueris, quam fidem in promouenda vera libertate & legibus probaueris. Aduertit in Te, Illustris: Domine, dexteritatem in agendo vidit in rebus perspiciendis solertiam, perspexit in causis diiudicandis iudicium maturum & fidem, Magnus ille vir prudentiâ & iudicio ANDREAS LIPSKI Supremus olim Regni Cãcellarius, Episcopus Cracouiensis, de quo ob conseruandam iustitiam & patrocinium clientum, nunquam moritura fama conticescet. Propterea non solum animum & affectum tantus Heros ad Te conuertit sed etiam non irritam suam operam in Tuis virtutibus ornandis prædixit. Hic itaq; Antistes cùm in grauioribus officijs Tuos egregios conatus, & sedulitatem cognouisset, dignum Te maiorum meritis, & magna famæ celebritate, ad maiora & grauiora amplitudinis munera Te promouere non destitit. Non subito in Clarissimã Te lucem erumpere voluit, sed sensim honorificum iter ad publicos honores tibi parauit. Laboribus merita, meritis virtutes, virtutibus gloriam, tantum decus & splendorem augere voluit. Perspecta hac tua virtute Serenis: SIGISMVN-

DVS

DVS Tertius, cum omnes admirarentur Tuum indefeſſum ſtudium, in hac Tua ætate, & infractum animum, Secretarium magnum fecit, & tanquam arbitrum, magnæ experientiæ virum, intimum à ſuis conſilijs eſſe voluit. Quod tanti momenti ſemper hoc munus & excellentiæ fuit, vt ſi fides Platoni omnis honeſtatis & diſciplinæ præceptori habenda eſt, cui ſecreta eidem & libertas committebatur: quo munere ita fideliter, modeſtè, vſus es in Tuo officio, vt non priuato, ſed communi bono videbaris viuere, omnes affabilitate morum & comitate obſtringebas, omnia promptè & fideliter munia obibas, cum laude & approbatione multorum. Talem te omnibus probâſti, qualem te bonitas naturæ, qualem genius diuinus, qualem humanitas, & ſumma prudentia rerum gerendarum efformauit. Tantus honor, tam honorificus, nullum in te faſtum excitauit, non auxit contemptum aliorum, ſed moderationem animi, & non fucatam placabilitatem; non ſolum in ciues ſummi ordinis, verum etiam infimæ conditionis homines in Te ordinauit. Oportebat maiori præmio hos virtutum progreſſus condecorare, non erant deſtituti, nec orbati ſuis eminentijs. Nam Referendarij munus & Abbatia, non ineximiæ dignitates & officia meritoria, tibi ſűt oblata, in quibus gerendis, quid Deo, quid Reipub: quid Eccleſiæ debeas, in mente tua & animo tacitus voluebas. Hoc vnicum ſpectabas. Nam cuius concredita aliorum ſalus tutelæ, in eius humeris publicam pacem, communes fortunas, ſacram religionem, libertatem auream, in graui diſcrimine periculi omnia ſeruanda conſediſſe putabas. Non tibi quicquam iucundű euenire poterat, quod à publica cogitatione

in cuius

in cuius ceruicibus tanta moles incumbebat retorquere ſecurum valeret. Non te ſomnus, non lectus ad quietem datus, non edulia opipara ſaporibus condita, à publica negotij ſollicitudine auocabat: ſed ſolus in laboribus, vt alijs otioſis, ſolus curis onuſtus, vt alijs quietis, ſolus ſemper in metu & trepidatione viuebas, vt omnibus tuæ fidei & poteſtati commiſsis tranquillè & pacatè viuere liceret. Poſtquam verò Tua egregia munia cum laude & honore ſemper ornares, tandem velut luminare fulgentiſsimum in candelabrum Eccleſiæ beneficio Regis clementiſsimi, & autoritate Summi Pontificis expoſitus fuiſti in Epiſcopatum Culmenſem: vbi in conſpectu Ciuium etiam Eccleſiæ Dei aduerſantium, doctrinâ, pietate, religione prælucebas; multos à temeritate Tuo conſilio, à furore lenitate animi, à pertinatiâ, Tua promptitudine auocâſti, in obedientia ſanctæ Eccleſiæ homines duræ ceruicis retinuiſti, & ad omne genus virtutum, ſanctimoniâ, Tuo exẽplo prouocaſti, Hæreticos in tenebris errantes, ad ouile Chriſti, in lucem veritatis reduxiſti. Non aliter, ac ſi Numa Pompilius, efferatum populum, aſſuetum bellis & rapinis, ad modeſtiorem vitam, & cultum Diuinum, pijs orationibus, efficaci conſilio, excitâſti. Non aliter, ac ſi Ioſue populum dilectum Dei, per loca periculis plena, monſtris & venenatis ſerpentibus infecta duxiſti: illam gentem prauis opinionibus imbutam, ad Eccleſiam Dei, vbi gratia & ſpes vitæ æternæ, vbi certa ſalus & merces pretioſa, Chriſti fidelium. Quo in officio, non rigidum ſupercilium, non tetricam frontem, non vultum contractum, ſed comitatem iucundam conuerſationem, cum omni veneratione & amore ſui grex tuæ pote-

ſtati commiſſus experiebatur tanquam Paſtoris vigilantiſsimi, & Patris indulgẽtiſsimi, qui eius vitam, libertatem, ornabas animi magnitudine, candore & ſanctitate. Hoc vtiliter perpendebas quaſi diuinitùs incitamentum cordi immiſſum examinabas, vt illum qui peruerſis dogmatibus à religione diſtràctus, Paſtorali officio tuereris, operam ſolicitè impendebas, vt primo Cleri honeſtate, à præſtigijs Hæreticis, ad veram doctrinam vagabundos per deſerta impiorum ad Eccleſiam Chriſti reduceres. Hoc legibus ſanciebas, hoc pænis ordinabas, vt Clerus factis ſuis, ad odium non prouocaret illum populum, ob leuem etiam ſuſpicionem inhoneſtæ notæ nomini Chriſtiano offenſum. Ne quaſi Meduſæ capita ſeſe illi exhiberent, ad quorum cõſpectum in varia monſtra commutaretur, ne præberent ſcopulos ad quorum inſultus non mediocriter allideretur. Quis igitur erit peregrinus, vel potiùs ignarus, qui non manifeſtiſsimè cognoſcat, quos conatus, quos labores ſuſceperis, quantam operam impenderis, in propaganda religione, in plantanda vinea & irriganda Verbo Dei. Perfungebaris officio Epiſcopi & exemplo Patris, vt non diſcreparet à ſenſu ſanctiore Eccleſiæ, ſed vnam fidem, vnum ritum, eaſdemq; leges, mores incorruptos ſeruaret. Et quidem Præſulis, cùm eos pijs admonitionibus ab errorum tenebris, proponendo pericula, quibus circumſeptus erat, niſi ad ſaniorẽ mentem reflexiſſet, ad lucem doctrinæ pertrahebas. Patris vero tanquam filios amore non ſeueritate, conniuentiâ non rigore, ad ouile Domini ſalutaribus medijs inuitabas, quandoq; etiam precibus, nonnunqnam ſeueris comminationibus incitabas. Talium cum

laudabi-

laudabilium operum lumen, & religionis propagandæ per doctrinam, & animorum moderatricem eloquentiam splẽdor, non modò in Patria, sed per vniuersi orbis spatia corruscaret: Serenis: VLADISLAVS IV. REX dignum magnopere iudicauit, vt te Legationis publico cohonestaret officio, Missus fuisti ad Inuictissimum Cæsarem, tanquam Cyneas aliquis Thessalus disertissimus, Viennam, non ad vrbes munitissimas, arces fossis ac muris validissimis septas occupandas: Sed Serenissimo Regi Sponsam inuiolabili nexu Sacrosancti Matrimonij associandam; vbi animoso spiritu eloquentiæ ita animos omnium deuincebas, vt & voluntati Serenis: Regis repugnare & eloquentiæ Tuis viribus nemo resistere auderet. Sed ipse Inuictissimus Cæsar, totius Christianitatis defensor acerrimus, animo candido & syncero, affectu grato, firmissimum vinculum nunquam dissociabilis amicitiæ cum Ciuibus Patriæ nostræ stabiliendæ & conseruandæ censeret. Quid potentia eloquentiæ tuæ non effecit? nonne flexit animos? nonne multorum animos emoliit? vt quidquid ad immortalitatem est gloriosum, & Reip: fructuosum per Te tanquam propagatorem communis salutis, & Tuam eloquentiam, est constitutum. Insitatæ felicitatis argumentum sibi vendicent, alij ex bello & armis, quibus & gloriam sibi pepererunt immortalem, & publicam fortunam, per tot difficultates, per eluuionem sanguinis & vitæ dispendia stabilierunt: Tu ARCHIPRÆSVL felicissimus, ad Diuorum vitam mihi accedere videris, cum non more ferarum, non viribus pro Patria decertasti corporis, sed animo aliorum animos vicisti. Non cum

cum summo apparatu armabas militem ad prælium; sed rationes instruebas, quibus citò confecisti, vt Reip: negotium æternum firmares Poloniæ. Quod potest firmius retinaculum vrbium Regnorum dari, quàm matrimonium Regum & Principum, quod si in Regnis tolleretur, perpaucis annis vniuersam Prosapiam illorum, satis Illustrem & amplam, interire necesse est. Nouerat hoc optimè Rex Persarum Xerxes, omni genere diuitiarum & hominum multitudine abundantissimus, cùm ex edito loco ingentem numerum hominum intueretur, lachrimas continere non potuit, quòd ex tantis hominum millibus, post annos sexaginta, nullus omnino superfuturus esset. Cur quod ille de suis copijs intellexerit, non etiam de Regum & Principum familia dicendum est. Sublato illorum connubio, quis Princeps bellicosus? quis Imperator aut Rex in suo imperio supererit? quæ pacis ornamenta, quæ tranquilitatis amænitas, cum ex societate coniugali Ciues Ciuibus, Regna regnis diuturna necessitudine coniunguntur, & infensis atq; inimicis animis reconciliantur. Testantur Annales de Iulio Cæsare, & Cn. Pompeio quorũ affinitas quamdiu viguit in tuto portu conquiescebant res Romanæ, & ipsa amplitudo imperij sub tutela & Patrocinio benignioris fortunæ floruit, durissima quæq; bella ad pacem & concordiam redacta fuere. Tu, ARCHIPRÆSVL, vt tanta vtilitas Regno Polono, ex connubio Regali vnà cum incolumitate Regum, & prospera fortuna perrennaret, Tua facundia effecisti. Tu consilio prudentissimo, ne Regnum hoc amplissimum, orbatum tanta vtilitate, per affinitates, Ma-

tes, Matrimonij potentius reddere prouidisti. Tu rationibus, luce meridiana clarioribus, tantum pignus genere Serenissimum, fortuna amplissimum, religione sanctissimũ, Ciuibus afflictis in solatium dari, tanquam facundus Vlysses, qui oratione ad fortunam præsentem accommodata sermonis vi, & dicendi firmâ potentiâ persuasisti. Conspicuus videbaris Viennæ, Vrbe religionis, sapientiæ & virtutum quasi omnium Emporio, Episcopali Tiâra insignis, stipatorum frequenti satellitio populis admirabilis fuisti. Ex Tua autoritate & amplitudine grauissima, cùm omnia ad voluntatem tuam & arbitrium prospere fluerent; tamẽ non solùm ex splendido & magnifico rerum, sed ex verborum apparatu, bene agendi felicitatem omnes sunt admirati. Et cum omnia munificentia, vrbanitate, & dexteritate consequi potuisses, id oratione gratissima, persuasione blanda præstare gloriosiùs arbitratus es, si non auri splendore & gemmarum pretio, quàm orationis æstimatione animos populi vincere. Comparauit tibi aditum non fortuna sed virtus, ad Reip: tantum munus, dignitate primum, ex maioribus Tuis clarissimis in candido pectore insita, quæ creuit non solùm ex Marte bellorum effectore, non solùm ex Ioue consilij Præside, non solùm ex Pallade pacis & armorum sociâ: verumetiam ex Calliope, quæ Te impensè veneratur, perpetua honorum comes ad tantum fastigium euexit, vt æstum popularem, turbulenta consilia, seditiones perniciosas, pacata suadella lenires & componeres. Non dicitur hic quicquam ad ostentationem & assentationem, ARCHIPRÆSVL Amplissime, quin

 res il-

res illuſtres & graues multò ſtrictiùs & exiliùs ſentio à me enumerari, quàm ſplendori & dignitati illarum conueniat. Expreſſa & luculenta eſt in Te ornando, prædicando, omnium Ciuium, Sacerdotum, omnium Senatorum volũtas: cum pro Te mirifico ſtudio, votis ardentiſsimis apud Diuinam clementiam laborant, Tuorum laborum curſus ætatis magnopere commendando. Facilè enim cognoſcunt Te ſummâ cum vigilantiâ Paſtoris in Eccleſia Dei perſonam gerere, maieſtatem tanti officij honorifice ſuſtinere. Veniunt in ſpem certiorem & exſpectationem, omnes neruos, conatus, tuæ dexteritatis eo te collocaturum vt oppreſsos calamitate releuare à potentiorum iniuria defendere debeas, hoc vnicum te conſtituturum putant, vt ne æquitatem iniquitas, conſilia temeritas, rationem furor, pudorem impudititia, religionem ſuperſtitio euertere ac profligare contendat, vt quorum innocentiam vel immunitates legum alienus impetus oppugnare intendit, animoſe Te infracturum illum ſciunt, & audaciæ ſceleri, legum autoritatem, innocentiæ portum, ac perfugium oſtentaturum pollicentur: Quamobrem cum Te fortuna Tua magnum producere volebat, & virtus in propagando publico bono illuſtrare, vt tandem ſerena lux & amæniſsima honoris Tui exoriretur. Ingredere in hanc Archidiæceſim felicibus auſpiciis, quæ intra ſedes te cum ſũmâ animorum alacritate recipere, & in animis ſuis recondere, ex nimio lætitiæ affectu cupit. Excipiunt te vniuerſi Senatores palàm, Equeſtris ordo acerrimè, cætus Sacerdotum gratiſsimè, & in Tuo exoptato & iucundo aduentu

frequen-

frequentissima celebritate lætantur, & impense congratulantur, vt in Tua Archiepiscopâ in quam faustè, prosperè, feliciter succedis, quæ tibi contigit cælesti ordinatione præsis felicissime, autoritate, Sanctimoniâ, his omnibus, qui Tuæ fidei & pietati sunt commissi. Tandem plenus ob Tua præclara merita in Patriam, & incredibilem pietatem in Deum, amplissimis honorum præmijs persunctus, honorifico laborum Tuorum officio, in illa sanctissima virtutum Tuarum statione, & pro Patriâ & pro pietate, cum laude actæ vitæ, immortalem consequaris mercedem

DIXI.